



**Rev. Patr. Joannis Laurentii Berti, Ord. Eremit. S.
Augustini, Theologia Historico-Dogmatico-Scholastica,
Seu Libri, De Theologicis Disciplinis**

Berti, Giovanni Lorenzo

Monachii [u.a.], 1749

Caput II. An detur humanum aliquod opus indifferens, expers scilicet tam
nequitiae, quam probitatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83665](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83665)

manorum, nunc ego cæterarum lucubrationum mearum synopsis ob oculos

lectoris ponerem: quod capite hoc primo complevi.

CAPUT II.

An detur humanum aliquod opus indifferens, expers scilicet tam nequitiae, quam probitatis.

SUMMARIUM.

1. An detur opus humanum indifferens.
2. Dantur aliqua ex sua natura indifferentia.
3. An teneamur in Deum referre actiones omnes deliberatas. Proponitur sententia affirmans.

4. Probatur ab aliis, neminem teneri omnia opera in Deum referre.
5. Via media statuitur.
6. 7. 8. & 9. Solutio Objectionum.

I.
An detur
opus huma-
num indiffe-
rens.

QUÆSTIO instituitur de operibus cum deliberatione ac libertate paratis: nam indeliberatis, ac necessariis nullam meriti, laudisque inesse rationem, quemadmodum nec vituperii, atque malitiæ, satis liquet ex disputatis. Est autem omne opus deliberatum cum fine operantis conjunctum, atque ad objectum aliquod cum advertentia directum: atque hinc, ex objecto scilicet, ac fine suam desumit bonitatem, sive malitiam. Nam quod docet Schola humanorum officiorum qualitatem petendam esse ab objecto verum est, scribente Augustino Epist. 155. *Mores nostri, non ex eo, quod quisque novit, sed ex eo, quod quisque diligit, judicari solent*; atque omnibus fatentibus rationi esse conforme Deum colere, atque diligere, dissonum vero amare turpe lucrum, & illicitam voluptatem. Sed fieri tamen potest, ut operemur erga objectum honestum, & dilectione dignum, & tamen pravus finis vitiet opera, ut si largiamur eleemosynam ad inanem gloriam captandam, aut Deo præstemus obsequium pro temporalibus bonis unice comparandis. Quamquam contingere nunquam potest, ut si objectum malum sit ac prohibitum, operationem rectus finis honestet: propterea fert commune proloquium oriri malum *ex quocunque defectu*. Quare non à solo objecto pensanda est humani officii natura, sed etiam à circumstantiis reliquis, & præsertim à fine, quo allicimur, ac movemur, sive ne penitus abiciamus orationem scholasticam, à *tendentia in objectum*. Hinc dictum alibi cum Augustino, non externo officio, sed fine, vitium, ac virtutem discerni: quod est in hac præsertim quæstione attendendum.

2.
Dantur aliqua ex sua natura indifferentia.

Si ergo humanum aliquod opus consideretur comparate duntaxat ad objectum, conveniunt omnes, plura esse humana officia suapte natura indifferentia, ut ambulare, levare festucam, ludere pila, aut latrunculis, aliaque

facere nullis legibus vetita: atque schola appellat hæc opera indifferentia *specie*. At si humana actio consideretur *in individuo*, nimirum, ut hic, & nunc ponitur, tali fine, ac tali rerum circumstantia, probabilior est sententia Thomistarum ac omnium Nostratium semper actionem illam esse in genere morum rectam, aut pravam.

Plura differui præcedenti libro XVIII. cap. 3. de operibus moraliter bonis, unde pendet hujus quæstionis solutio. Dixi defendere complures, quod teneamur referre in Deum actiones omnes deliberatas, quorum sententia proximis argumentis fulcitur. I. Est præceptum (inquiunt) charitatis, ut diligamus Deum ex toto corde: quæ dilectio nequaquam haberi potest, nisi referamus in Deum *omnes cogitationes, omnem vitam, & omnem intellectum*, juxta doctrinam Augustini lib. 1. de doctrina Christiana cap. 22. Cui argumento si respondeas præceptum diligendi Deum, cum sit affirmativum, non semper obstringere, inquiunt illius sententiæ Patroni verum id quidem esse, sed cavendum tamen dum actu opera deliberata exercemus, ne in re creata sistat animus, ac fruatur bono aliquo commutabili: quod sane foret ordinem pervertere dilectionis. At nisi referas actiones deliberatas in summum bonum, hæres animo bonis commutabilibus, ordine sanctæ dilectionis turpiter permutato. II. Proferunt testimonium Pauli 1. ad Corinth. x. 31. *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite*. Quod si dixeris consilium esse non præceptum; reponent eadem ratione præceptum esse ne fruamur creaturis, quibus uti debemus; iis neminem bene uti absque amore Creatoris, ut docet S. Pater lib. iv. contra Julianum cap. 3. Cum ergo non consilium, sed præceptum sit ordine dilectionis frui solo incommutabili bono, est etiam præceptum non consilium, ut omnia hiant in charitate, sive cum relatione in Deum.

III. Pro-

3.
An teneamur referre in Deum actiones omnes deliberatas,
Defenditur ab aliquibus quadruplici argumento.

III. Producent testimonia Patrum innu-
mera, ac praesertim Augustini scribentis
loco nuper laudato: *Quidquid boni ab
homine, & non propter hoc fit, propter
quod fieri debere vera sapientia praecipit,
etsi officio videatur bonum, ipso non re-
cto sine peccatum est.* Similia docent
Ambrosius serm. in Malach. Bernardus
Tract. de charitate cap. 1. Basilius Ma-
gnus libro regularum responsione 5. &
S. Thomas, qui de charitate art. 2. ad 3.
ait: *Virtualiter omnia referre in Deum,
cadit sub praecepto charitatis, cum hoc
nihil aliud sit, quam habere Deum ulti-
mum finem.* IV. Afferunt argumenta
plura omnia tamen hoc fundamento sta-
bilita, quod homo creatus ad imagi-
nem Dei nequeat in aliquo creato bono
finem ultimum constituere: habeatque
rationem finis ultimi quidquid saltem
virtualiter in alterum non refertur. Quod
si plura de hac sententia cupias legere,
adito Vanroy Tom. 1. Theologiae mo-
ralis, Tract. 2. cap. 1. Aurelium Piet-
te Tom. 2. quaest. 1. Antonium Guer-
rero Tom. 1. Tract. v. §. 2. Gavardi
Tom. IV. q. 5. Nicolaum L' Herminier
Tom. v. pag. 361. Nat. Alexandrum
lib. 3. de peccatis Regula LVII. &c.

4.
Probatur ab
aliis nemi-
nem teneri
omnia opera
in Deum re-
ferre.

Est tamen plurimorum apud Suare-
sium lib. 1. de Grat. cap. 6. opposita
praecedenti sententia, quod omnia opera
in Deum minime teneamur referre:
eamque his communiunt argumentatio-
nibus. I. Cum absque fide, & chari-
tate impossibile sit in Deum opera de-
liberata referre, si absque tali relatione
vitiata forent atque perversa, sequeretur
veram esse, & immerito damnatam
illam propositionem Baji: *Omnia opera
infidelium sunt peccata*, & alteram Que-
nelli: *Sola charitas Christiano modo facit
actiones Christianas per relationem ad
Deum, & Jesum Christum.* Quamta-
men argumentationem facile elides re-
spondendo dari cum in infidelibus, tum
in peccatoribus opera indeliberata, quae
carent omni vitio & peccato, necnon
plura, quae non sine gratia etiam ab in-
fidelibus fiunt, & multa pariter facta à
peccatore cum sola gratia actuali, &
absque gratia sanctificante: quae si fa-
tearis, nullam pertimesces ex Ecclesia-
sticis censuris latis in eos, qui etiam in
motibus indeliberatis ac necessariis ne-
quitiae & culpae labem excogitarunt,
neque ullam gratiam admiserunt vel
ante habitum fidei, vel ante remissio-
nem peccatorum: quae Baji, & Que-
nelli dogmata sunt capitalia, nullatenus
praecedentis doctrinae confectanea:
quod alibi demonstratum est. II. Stant

R. P. Berti Theol. Tom. IV.

pro hac secunda sententia etiam Au-
gustini aliorumque Sanctorum testimo-
nia. Nam S. Pater lib. de Bono Con-
jugali cap. 6. ait: *Conjugalis concubi-
tus generandi gratia non habet culpam.*
Serm. 159. *Delectat gustum cibus non
prohibitus; delectant gustum etiam epulae
sacrilegorum sacrificiorum: istud licite,
istud illicite.* Videtis ergo charissimi
etiam in istis corporis sensibus licitas esse,
& illicitas delectationes. Sed respon-
dent Nostrates, permitti ab Augustino
voluptatem, atque delectationem, quae
cibo, potu, aliisque sensuum actibus
percipitur, in quantum concomitans
est, & actus ipsos consequitur: non au-
tem affirmari, quod fas sit illius de-
lectationis causa operari, ita ut in volu-
ptate tanquam in fine sistat ipsorum
actuum exercitatio. Etenim Augusti-
nus Tract. 2. in 1. Joannis Epistolam
apertissime allata loca exponit, suam-
que mentem manifestat, scribens: *Quin-
do dicitur, Nolite ista diligere, hoc di-
citur, ut non manducetis, aut non bi-
batis? Non hoc dicitur: sed sit modus
propter Creatorem, ut non vos illigent
ista dilectione, ne ad fruendum hoc ame-
tis, quod ad utendum habere debetis.*
Cohærenter ad hanc Augustini doctri-
nam proscripta fuit ab Innocentio XI.
ea propositio: *Comedere & bibere usque
ad satietatem ob solam voluptatem non est
peccatum, modo non obstat valetudini, quia
licite potest appetitus naturalis suis acti-
bus frui.* III. Habent præterea hujus
sententiae defensores suas, & ipsi ratio-
cinationes. Quarum prima est præce-
ptum referendi omnia in Deum opera
esse affirmativum, ideoque non semper
obstringere operantem. Proxima est,
quod impossibile sit tanta in hominibus
attentio, ut quidquid efficiunt, refe-
rant in Dei gloriam. Tertia, quod ni-
mium est arduum existimare quod prava
sint, quae fiunt motivo honestatis, pu-
ta eleemosynam pauperi distributam ex
commiserationis affectu. Verum & his
occurrunt reponendo præceptum illud,
etsi non obliget semper, obstringere in
hypothesi, quod homo operetur deli-
berate, atque ex consilio, cum nullum
aliud finem ultimum possit sibi præsi-
gere præter bonum incommutabile: non
esse impossibile omnia in Dei gloriam
referre virtualiter, tametsi arduum est
id semper actualiter præstare; difficul-
tatem, si qua est, ipsa charitate com-
planari: ac tantam esse infirmitatem na-
turae humanae, ut sine gratiae adiutorio
non valeat quodlibet peccatum vitare.
Ad ultimum inquirunt opus ex motivo

Q. 2

honestatis

honestatis patratum in se, & officio ipso spectato, bonum esse, & rationi consentaneum, sed defectum esse in fine operantis, qui illud ad debitum finem non refert.

5.
Via media
statuitur.

His praesidiis poteris priorem illam Augustinensium sententiam sartam tectamque tenere, aut, si mavis, amplecti postremam. Memineris tamen me elegisse mediam viam, de qua plura memorato capite tertio libri xviii. dixi omnium menti inesse regulam quamdam incommutabilem aequitatis, sed hominem lapsum magis movere, atque ad agendum trahere imagines rerum sensibilium, & infirmatam peccato primi hominis noxiam cupiditatem: ad hanc comprimendam divinitus nobis inspirari gratiam sanctae delectationis. Ad propositam ergo quaestionem ex hac mea opinione consequens habetur responsum. Vel humanus actus dirigitur per charitatem, & gratiam sanctae delectationis in Deum, & est bonus undequeque: vel per ideam illam incommutabilis aequitatis rectae rationi deprehenditur convenire, & est bonus moraliter: vel peragitur ob inanem gloriam, & est inflatum typho superbiae; vel propter res sensibiles, & creatas, & cupiditate marcescit. Igitur in individuo nullus datur humanus actus indifferens. Adde quod nisi adsit charitas, perquam refertur in Deum, in praxi operans non operabitur propter aequitatem, cuius habet ideam ingentem, sed aut sibi placens, aut fruens bonis commutabilibus, & ideo opus erit pravum, atque perversum. Atque haec assertio ex praecitato capite sua veluti sponte dimanat. Neque ab Augustino aliena est, qui libro 2. de peccatorum meritis cap. 18. docet non posse in medio quodam humanam voluntatem consistere, *Ut nec bona sit, nec mala*; & in libro de utilitate credendi cap. 12. ait: *Omne factum si recte factum non est, peccatum non est; nec recte factum ullo modo esse potest, quod non a recta ratione profisciscitur*. Hinc Vasquesius, pugnet licet pro sententia contraria, fateatur nihilominus 3. p. disp. 25. cap. 6. S. P. Augustinum nullum indifferentem actum admittere.

6. Obijciunt Adversarii 1. locum Hieronymi ex Epistola 89. inter Augustinianas xi. vel lxxv. *Bonum est continentia, malum est luxuria. Inter utrumque indifferens ambulare, digerere alvi stercorea, capitis naribus purgamenta projicere, sputis rheumata jacere. Hoc nec*

bonum, nec malum est. Sive enim feceris, sive non feceris, nec justitiam habebis, nec injustitiam. Respondetur Hieronymum loqui de operibus consideratis in specie, sive spectato duntaxat eorum objecto, non autem in individuo, prout hic, & nunc exercentur, & quatenus cum intentione, ac fine operantis sunt conjuncta. Hoc autem pacto nemo denegat esse indifferentia; cum versentur circa objectum, quod nec prohibitum est, nec praecceptum. Nemo pariter affirmat exercitamento illorum operum justitiam comparari, vel injustitiam, cum haec duo non opere, atque officio pensentur, sed fine, qui in operante est, non in opere. Hanc esse mentem Hieronymi constat ex verbis nuper recitatis, atque ex ipso Epistolae argumento. Ait enim principio *bonum esse continentiam*, in se utique spectatam, & ratione objecti: nam si continens sis avaritiae gratia, aut philautia quadam, & inani jactantia, quis dubitat continentiam tuam non esse bonam, atque vinci à te vitium vitio? Addit posthac indifferens esse *ambulare, sputa jacere, naribus purgamenta projicere*: quae si praestes, ut amasiam videas, hostem contemnas, procum accersas, quis negat à te indifferens opus vitari? Ergo Hieronymus in operibus, quae indifferentia appellat, officium spectat, non finem. Idque ut probet observationem legalium non esse naturam indifferentem, ut potuerit ab Apostolis pro temporum opportunitate exercere, vel praetermitti, sed malam fuisse, ac prohibitam, ideoque non sincere, sed quadam dispensatione usurpatam. Qua in re non solum Hieronymus fatetur finem operum esse attendendum, sed etiam tenet reprobam ab Augustino sententiam, in observatione legalium mala per se ac prohibita magnam apparere, ac novam clementiam Apostoli, dum Judaeos Christianos volens facere, ipse Judaeus factus est. Eapropter Hieronymus plus, quam dicamus nos, dicit: quoniam arbitratur opus in specie malum, esse bonum in individuo, & provide ab Apostolis servata legalia, & simulata praeccepta, etiamsi existimet legalia ipsa mortifera. Sed cavendum est, ut S. P. Augustinus responderet Hieronymo Ep. xix. nunc lxxxii. *ne sicut Philosophi quaedam facta hominum media dicamus inter recte factum, & peccatum, quae neque in recte factis, neque in peccatis numerentur, spectans in individuo opera, quae Hieronymus dixerat in specie tantum indifferentia.*

Dein-

7.
Obiectio 2.
& solutio.

Deinde obijciunt Adversarii, quod loqui, ambulare, ludere ob solum libertatis exercitium non sit opus bonum, neque malum: non bonum, ut per se patet; non malum, quoniam ad pravam finem nequaquam refertur. At constat ex dictis responsio: hi enim, & consimiles actus sunt secundum se indifferentes, in individuo autem, & spectato fine operantis, omni malitia non carent, non quia ex fine pravo ponantur, sed quia recto fine desituuntur. Et revera Matthæi xii. 36. legitur: *Dico autem vobis, quoniam omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicii.* Porro, ut animadvertit Gonet Tract. de Moral. Act. Hum. disp. 5. actio non dicitur otiosa, quod ad finem malum ordinata sit, sed quod careat fine debito: & consequenter loqui, ambulare, ludere exercitationis causâ, quamvis turpitudinem finis non habeant, otiosa sunt & inania, quia carent fine debito ac recto. Atque hinc depromit hujus asserti rationem validissimam magnus Thomas Aquinas scribens 1. 2. q. 18. art. 9. *Sed contra est, quod Gregorius dicit in quadam Homilia, Otiosum verbum est, quod utilitate rectitudinis, aut ratione justæ necessitatis, aut pietatis caret. Sed verbum otiosum est malum, quia de eo reddent homines rationem in die iudicii, ut dicitur Matth. xii. Si autem non caret ratione justæ necessitatis, aut pietatis utilitatis est bonum. Pari ergo ratione & quilibet alius actus vel est bonus, vel malus. Nullus ergo individualis actus est indifferens.* Hactenus S. Thomas. Ex Angelico autem Præcepto infertur necessariam non esse supernaturalem charitatem ut opus humanum non sit perversum ac malum; sed sufficere, si ponatur ex fine justæ necessitatis ac pietatis utilitatis, qui finis conformis sit rectæ rationi, & ideâ ac regulæ æquitatis incommutabilis: quamquam in praxi perdifficile est ita hanc regulam tenere, ut non prævaleant rationi sensum illecebræ, quando istas Gratia Dei non coercent.

8.
Obiectio 3.
& solutio.

Tertio obijciunt, damnatum esse à Concilio Constantrensi articulum Joannis Hus: *Quod nulla sint opera indiffe-*

rentia. Sed legendus integer articulus ad hunc modum se habens: *Quod nulla sint opera indifferentia, sed hæc sit divisio immediata humanorum operum, quod sint vel virtuosa, vel vitiosa. Quia se homo est vitiosus, & agit quicquam, tunc agit vitiose: & si est virtuosus & agit quicquam, tunc agit virtuose; quia sicut peccatum inficit universaliter omnes actus hominis vitiosi; sic virtus vivificat omnes actus virtuosos.* Itaque articulus iste non agit de indifferentia operum secundum se, sed comparate ad justum vel impium, quos Joannes Uls assererat necessario bene vel male operari; bene si gratia sanctificante sint exornati, male si coinquinati sint culpa. Quod hæreticum est asserere; nam nec semper Justus operatur ex charitate, nec semper impius ex cupiditate; non enim semper in corde peccatorum regnat carnalis cupiditas, neque omnes actiones corrumpit, ut demonstravimus alio in loco adversus Quenellum ac Bajum, quorum perversa dogmata magnam habent cum Hussitis affinitatem.

Opponunt denique præceptum omnia referendi in Deum, sive in finem ultimum esse affirmativum, nec semper obligans: nullam dari speciem absque Individuis, ideoque si dantur actus secundum speciem indifferentes, admitti quoque debent in individuo; postremo dari omissionem indifferentem, E. G. non audire sacrum die feriali, & consequenter etiam actum. Sed hæc non moror. Nam de primo argumento dictum supra servandum esse præceptum illud quotiescumque deliberate operemur; imo sententia nostra sufficere, si opus à regula incommutabili, quæ Deus ipse est, non deflectat. Ad alterum dicimus in individuo determinatum esse certis circumstantiis, quod in specie est indifferens; & argumentationem tenuissimam retorquemus. Atque ad ultimum respondemus, omissionem, de qua supra, in se spectatam indifferentem utique esse, quia nullum præceptum transgreditur: sed consideratam in deliberatione non audientis sacrum vel à recto fine cohonestari, vel infici à pravo.

9.
Obiectio ultima cum
soluzione.

